



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 26. Ranutius Farnesius Cardinalis ultimam diem claudens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI  
A.C. 1565.

raffis debitas pœnas sumpserat, captus, atque in arce sancti Angeli includebatur, sub prætextu vel vero, aut ficto, quod post Pontificis obitum pecunias submovisset: insuper officio, quo Cameræ Apostolicæ Rector nominabatur, privatus centum aureorum millia multæ nomine pendere iustus est, ad quam summam penitus solvendam sacrum quoque Collegium conferebat, atque ipsemet Pontifex quamdam illius partem benevole remittebat: Alphonsus tamen in Romana urbe aliquamdiu tanquam in custodiæ loco retinebatur, usquedum tandem Neapolin reverti permittebatur, ubi etiam anno ætatis suæ vigesimo quinto die vigesima septima Augusti tædio confectus obiit.

## §. XXVI.

*Ranutius Farnesius Cardinalis ultimam diem claudens.*

Ciaccon.  
pag. 721.  
Barth. Ciaccon.  
car. de Archiep. Nemp.  
Sigm. in ep.  
Bonon.

Quinto numero inter defunctos Cardinales recensetur Ranutius Farnesius patria Romanus, Petri Aloysii Farnesii Filius, ac Alexandri Farnesii Cardinalis, atque Octavii Parmæ, & Placentiæ Ducis Frater. Hic die undecima Augusti anno post Christum natum millesimo quingentesimo trigesimo primam lucem aspexit, ac studiorum curriculo tam Bononiæ, quam Patavii cum

Sæcul. XVI.  
A.C. 1565.

cum ingenti laude expleto, haud mi-  
nori progressu linguarum, ac sacræ  
Scripturæ studiis operam navabat:  
præprimis vero Melitensium Equitum  
Ordini adscriptus, licet ætate juvenis  
esset, Prior Venetus creatus Bononien-  
sem Commendam præter alia Ordinis  
beneficia recepit: postea vero Archi-  
episcopus Neapolitanus eligebatur, cum  
autem nondum legitimam attigisset æ-  
tatem, a Paulo III. ejus Avo hujus  
Ecclesiæ administratio tam in spiritua-  
libus, quam temporalibus Fabio Ar-  
cellæ Bisnianensi Episcopo commissa  
fuit, ab eodem autem Pontifice Rana-  
tius Anno salutis nostræ millesimo quin-  
gentesimo quadragésimo quinto Mense  
Decembri ante decimum sextum æta-  
tis suæ annum Cardinalium Collegio  
adscriptus, & Marchiæ Anconitanæ, ac  
Ecclesiastici Patrimonii Legatus nomi-  
natus est. Insuper postmodum Rave-  
natis Archiepiscopus, Patriarcha Con-  
stantinopolitanus, Bononiensis, &  
Sabinensis Episcopus, necnon Major  
Romanæ Ecclesiæ Pœnitentiarius elige-  
batur: verum Patrimonii Legatione,  
quam a Julio III. obtinuerat, ab eodem  
paulo post privabatur, ferventibus dissi-  
diis contra Farnesianorum familiam:  
interim brevi per hujus Pontificis obi-  
tum tota rerum facies mutabatur, ac

Dd 5

Ra-

**Sæcul. XVI.** **A.C. 1565.** Ranutius gerendis maximi momenti rebus præfectus Ecclesiæ utilitatem toto studio procurabat, atque Tridentini Concilii decreta in sua Diæcesi exacte observari studebat: postquam vero Bononiæ Divi Petri festivitatem celebraverat, atque inde reversus Parmæ Fratrem suum Octavium visum ire perrexerat, ibidem feria secunda die vigesima octava Novembris hoc anno nonnisi triginta quinque annos natus mortalitatem exiit, non sine ingenti sacri Collegii luctu, præcipue Pii IV. Pontificis, qui hujus Viri pietatem, ingenii aciem, ejusque eruditionem plurimi habebat. Illius laudes Borromæus Cardinalis in pleno Patrum Collegio deprædicabat, & Cardinalis Sadoletus hujus Purpurati merita, ac præclaras ingenii dotes digna laude extollebat.

*Sodal. l. 15.  
p. 9. & 10.*

§. XXVII.

*Mors Cardinalis Pasquæ.*

Sextus erat Simon Pasqua alias de Nigris dictus, Galeotti Guilielmi Genuensis Patritii filius, qui a teneris jam annis Philosophiæ, Medicinæ, linguæ Græcæ, ac postea Theologiæ operam dabat, in omnibus hisce scientiis excellens: unde Genuensis Respublica, cum tanti Viri merita maximi haberet, eundem Legatum in Angliam decernebat;